



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exemplorum Libri Tres

Liber Tertius, Sive Exempla Divinae Irae, Per Opera Poenitentiae, Nobis
Leniendae - Per Quadragesimam Anno M. DC. XLVIII. narrata

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 10. Sacramentorum abusus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48194)

IX.
IMMENSAM MI-
SERECORDIAM
ALLICIT HOMI-
NES AD POE-
NITENTIAM.
Osee. 13. 9.

Quàm inexcusabiles igitur erunt, qui hanc tantam Deipa-
ra, immò qui infinitam Dei misericordiam audiunt, credunt, &
tamen negligunt, aut adhuc desperant? Nonnè illis dici poterit:
Perditio tua Israël? Nonnè isti digni sunt mille gehennis? qui
non iam de tot peccatis, quotquot vmquam commissa sunt, con-
scij, sed ob furtum, ob rem alienam à se possessam, ob inimicum
vnicum vindicandum, ob consuetudinem fornicandi, aut potan-
di, aut otandi, cogitationem omnem salutis deponunt; & de
misericordia Dei desperant. At vidit hoc ab æterno prouidum,
Numen? & tamen eos creauit, pro illis homo fieri, illis Matrem
dare misericordiz, denique pro ipsis in crucem tolli voluit. Et
nondum nos mollie tanta pietas? tam immensa bonitas? Am-
plius progressa est. Postquam vidit, nos hæc omnia contemptu-
ros, adhuc benefecit, adhuc alia remedia exitijs nostris excogita-
uit: vt etiam sic adhuc lapsi surgere possemus. Nam SS. Sacra-
menta instituit, per quæ nobis vim sanguinis applicaret. Vultis
videre infinitam patientiam, & immensam bonitatem? Vidit
plurimos etiam hæc contempturos, calcaturos, adhibituros ad
occasionem illum offendendi, & non subtrahit: nec adhuc sub-
trahit; quamuis homines vsque ad eò insaniant, vt ipsa sese me-
dicina occidant; & illo gladio Deum persequantur, quem à Deo
contra suos, & Dei hostes acceperunt. Nonnè enim causam ha-
beret, vt diuina à se instituta sacramenta è medio amoueret, qui-
bus homines sacrilegè abutuntur? At tam immensè bonus est, vt
sacramentum poenitentiz adhuc ei offerat in salutem, qui centies
sacrilegè confessus est; vt dum saltem in vltima confessione seriò
retractat sacrilegus suas confessiones, veniam misericordiamque
consequatur.

X.
SACRAMEN-
TORVM ABU-
SUS.

Incredibilia videor dixisse, sed ostendam esse verissima. 1.
Cum omne sacramentum sit signum visibile practicum rei inuisi-
bilis, seu gratiz, quam confert, id quod ad gratiam conferen-
dam est institutum, adhibent ad gratiam destruendam, quoties
per baptismum, per chrisma, per mille sacramenta temerè, im-
piè, iactanter blasphemant; illi nimirum, qui Redemptori suo ipsi
sanguinem & vulnera exprobrant. 2. Baptismum non solum in
sui condemnationem accipiunt, qui minimè Christianè viuunt; sed

sed sunt, qui infantes aut omnino priuent baptismo, aut in ipsius quoque cacodæmonis nomine baptizent. 3. Confirmationem nec quid sit quidem sciunt multi; aut nimium differunt. 4. Eò progressa est ignorantia, vt extrema vñtio, quæ non solùm animam roborat ad extremum agonem, sed saepe etiam, vt D. Iacobus ait, infirmum alleviat, vulgò existimetur homines occidere. Idcirco enim horretur, quia putant, eum, qui vngitur, vel idcirco moriturum: quasi mors ab oleo, & non à morbo veniat. 5. Sacerdotium, quàm res sancta & diuina, quàm angelis propinqua? quanti autem eo sacerdotio abutuntur, vt nemo magis vacet otio, ebrietati, impuritati, scandalis? Quantis Simonij sacerdotia, & toti Episcopatus venduntur, emuntur? Sed ferè tanta hîc sunt vt, præstet tacere. 6. Tacebo matrimonia falsò promissa: adulterijs violata, viuis coniugibus cum duobus, tribus, pluribus iniuta. 7. De Confessione non est tacendum; ea pœnitentes vti possunt, tamquam secunda post naufragium tabula. At quàm multi grauius peccata tunc tacent? quàm multi numerum, & speciem non exprimunt? Ah pudet dicere! Aliqui confitentur sacrilegè, vt Confessario placeant, vt per eum commendentur ac promoueantur? Potest Confessarius dare testimonium Confessionis factæ: at qui testimonium ab eo aut commendationem petit, quàm stultus est, si id petat, de moribus & pietate? Non potest enim Confessarius eum cuius confessionem audiuit, ex hac scientia reprehendere, debet ergo necessariò vel nullum dare testimonium, vel eum commendare. Suspectum itaque haberi potest tale testimonium. Et nec ipse Confessarius bene agit, si talij ex causa confitentem ad matrimonia, vel alia officia splendida promouet. Multoq; minus credendum est illis pœnitentibus, qui se jactitant, leuem pœnitentiam à Confessario intinctam accepisse, quasi leuem dumtaxat meruissent; cum constet eos impurissimos esse, ac flagellis, cilicijs, grauissimis pœnitentijs dignos esse.

Quid quod 8. Ipsa SS. Eucharistia, res omnium sanctissima, mille modis violetur, inhonoretur, contemnatur? Nam eius cultum alij omnino negant; alij non æstimant; alij peruertunt, atque in ignominiam mutant. Instituta est in memoriam passionis

XI.
SS. EUCHARI-
STIÆ ARVVS.